



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Ephemeris Ecclesiastica Concionatorvm Hoc Est Considerationes Methodicæ Sev Veritates Practicæ**

Ex Vita Domini Jesu, Sanctorumque Gestis In Singulos anni dies mira  
facilitate & solertia distributæ ... ; Cum indicibus necessariis

Pars Verna - A Dominica Septuagesimæ, ad Dominicam SS. Trinitatis

**Haineuve, Julien**

**Coloniæ Agrippinæ, 1665**

Evangelium Feriæ. De celeberrimo illo ingressu Domini in civitatem  
Ierusalem, De quo jam suprâ, & sequenti Dominica commodiùs. Hac  
sancta hebdomada, de septem Christi verbis in cruce prolatis, ad ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44214**

III. PUNCTUM.

Hebr. 32.  
in Evangelio.

Quod novo igitur negatur homini contra veterem, hoc veteri indulgetur contra novum. NOVVS homo, inquit S. Gregorius, vita nostra veteri in vitis nutrita contrarietatem opposuit novitati sua. Quid enim vetus, quid carnalis homo non verat nisi sua retinere, aliena rapere si posset, concupiscere si non posset sed caelestis Medicus singulis quibusque vitis obviantia adhibet medicamenta. Nam sicut arte medicina calida frigidis, frigida calidis curantur: ita Dominus noster contraria opposuit medicamenta peccatis, ut lubricis continentiam, tenacibus largitatem, iracundis mansuetudinem, elatis praeceperet humilitatem.

Matth. 6.

At verò contra semper vetus reluctatur: sit pugna de nobis in nobis inter utrumque hominem, uter alteri cedat aut imperet. Alterutri profusus obsequendum. Illi sunt duo Domini, quibus nemo servire potest, Aut enim unum, odio habebit, & alterum diligit: aut unum sustinebit, & alterum contemnet. Sicut itaque quando mortificatione constringitur vetus homo, is dicitur crucifigi, quia sic comprimuntur ejus actus, ut nihil agat, perinde ac Crucifixus: sic planè nisi sic constingatur & crucifigatur, quid sequitur nisi oppositum? quid sequitur nisi quod novus ipse homo cum actibus suis comprimatur, compressus nihil agat, nihil agens sit veluti Cruci affixus? Si affiget homo Deum, quia vos configitis me: me vos configitis gens tota, dicit Dominus per Prophetam.

Mal. 3.

Atque hoc ipsum est, quod alia similitudine dicitur exspoliari veterem hominem & indui novum: Unde quemadmodum hoc ipso quòd unus exspoliatur, alter induitur: ita profusus si unus laxetur & liber agat in nobis, alter crucifigatur necesse est.

Ephes. 4.  
Coloss. 3.

Iam verò quàm sit grave & injuriosum Christo Domino sic in te constringi & crucifigi, ut nihil spirituale agat, cogaturque per tuam libertatem, cui sese accommodat, cedere æmulo, atque illum intueri dominantem tui, dominantem animo & corpori tuo, tuos moventem affectus, excitantem actus, & omnia sensualis vitæ opera tecum operantem, poterisne id cogitare & pati? Nonne tu ipse es, qui quotidiana precatione sic illum advocas; Dirigere & sanctificare, regere & gubernare, dignare Domine Deus Rex caeli & terra, hodie corda & corpora nostra, sensus, sermones & actus nostros in lege tua, & in operibus mandatorum tuorum. Dum verò præsens adest te directurus, dum tibi dicit, Ecce adsum quoniam invocasti me, veni, sequere me; Tu contra quasi diceres, quis es tu ut lequar te! Sequar cogitationes cordis mei, & ibo in adventionibus meis, Quid est irridere, quid est illudere nisi hoc sit? Factus sum in derisum tota die, omnes Ier. 20. subsannant me.

Itane semper illudes & non illuderis? Ipse Prov. 3. deludet illusores. Si fueris illusor, solus portabis Ibid. 9. malum. Attende diligentius & cum D. Bernardo sic exardesce in teipsum: Exurgat Deus & cadat armatus iste, cadat & conteratur inimicus homo, contemptor Dei, cultor sui, amator mundi, servus Diaboli. Quid tibi videtur? Si re- In Medit. tione sentis, mecum dices, reus est mortis, crucifigatur. Noli ergo dissimulare, noli differre, noli par- bus. cere: sed festinanter, audacter, instanter crucifige Medit. ul. hominem istum, sed cruce Christi, in qua est saluta- lita & vita.

Evangelium Ferie Ioannis 12. solennem ingressum Domini Iesu in Civitatem Ierusalem representat, de quo jam supra, semel & iterum; cras verò plenius & opportunius.

HAC SANCTA HEBDOMADA, de septem Verbis Domini in Cruce prolatis agitur, unde discamus perfectam in omni genere Renuntiationem, quæ plurimum facit, ad veram sanctitatem, his præsertim sacris diebus, comparandam.

Y 3 DOMI.